



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

GREGORIVS LVGDVNENSE II. RYDOLPHVS I. IMP.  
P. X. PHILIPPVS III. R. FRANC. 561

ANNO CHRISTI  
1274 præstitum , nisi adeo in eo perstiterint , quod ex votis eorum communis electio subsequatur , ne quaquam eligendi potestate priuentur , licet pro eo quod indignum nominando scienter contra conscientias suas agunt , & diuinam vindictam , & apostolicæ vltionis metum , quem qualitas facti suaferit , possint non immerito formidare .

VII.

Idem in eodem. Nulli licere decernimus , postquam in scrutinio nominauerit aliquem , & electio fuerit subsecuta , vel postquam præstiterit electio ni de ipso ab aliis celebratæ consensum , illum super electione ipsa , nisi ex causis postea emergentibus , impugnare , vel nisi ei morum ipsius antea cœlata de nouo pandatur improbitas , seu alicuius alterius latentis vitii , vel defectus , quæ verisimiliter ignorare potuerit , veritas reueletur. De huiusmodi autem ignorantia fidem proprio faciat iuramento.

VIII.

Idem in eodem. Si quando contigerit , duabus electionibus celebratis , partem alteram eligen- tium duplo maiorem numero inueniri , contra elec- tores , qui partem reliquam sic excedunt ad exten- nuationem zeli , meriti , vel auctoritatis ipsorum , re- liquis , vel electo ab eis aliquid opponendi , omnem præsenti decreto interdicimus facultatem . Si quid autem opponere voluerint , quod votum illius , cui opponitur , nullum redderet ipso iure , id eis non intelligimus interdictum .

IX.

Idem in eodem. Quamuis constitutio felicis  
*Concil. Tom. 28.*

Bbbb

recordationis Alexandri papæ quarti prædecessoris nostri, causas electionum episcopalium, seu super electionibus episcoporum exortas, non immerito maioribus causis annumerans cognitiones ipsarum per appellations quaslibet deuolui afferat ad apostolicae sedis examen. Nos tamen & temerariam appellantium audaciam & effrenatam appellacionum frequentiam refrenare volentes, hac generali constitutione duximus prouidendum, vt si extra iudicium in prædictis electionibus, vel in aliis de dignitatibus episcopatu maioribus celebratis, expressa causa manifeste friuola, contigerit appellari, per appellationem huiusmodi nequaquam ad sedem eamdem negotium deuoluatur. Sed cum in electionum earumdem negotiis in iudicio, vel extra iudicium appellatur, inscriptis ex causa probabili, quæ probata deberet legitima reputari, ad sedem ipsam huiusmodi negotia deferrantur. Ceterum in præmissis omnibus casibus licet partibus ab huiusmodi appellationibus, nulla tamen interueniente prauitate, recedere: antequam præfatae sedi fuerint præsentatae. Inferiores autem iudices, quorum erat ipsarum causarum cognitio, appellatione cessante, an in hoc prauitas intercesserit ante omnia diligenter inquirant; & si eam intercessisse repererint, se de causis ipsis nullatenus intromittant; sed præfigant dictis partibus terminum peremptorium competentem, in quo cum omnibus actis & monumentis suis apostolico se conspectui repræsentent.